Auuisa la rotta data al Bassa della Bosna et
il soccorso di Sissach

[illegible]

Salutem et benevolentiae nostrae affectum R.de.m in
Christo pater amice char.mi Promissis nostris, et collo-
quio de conclusione inter nos non ita pridem habita
satisfacturi, mittimus D.ni V. ea quae nobis de rerum
Argentinensium successu hactenus sunt perscripta, mittemus
etiam ea quae de caetero sequentur, et ad nos perfe-
rentur, quam diligentissime D. V. pro mo in eam
amore et fiducia amanter requirentes: Siquidem
hoc negotium Argentoratense magnam post se trahat
consequentiam, quam maius propediem (nisi in tem-
pore occurratur) sequetur malum, ut SS. D. N. suadeat,
quatenus religionem catholicam in his partibus conser-
vatam velit, ut non minus re quam consilio ad hunc
ignem longe lateque serpentem extinguendum praesto sit.
Quod si fecerit, id quod sui est officij, et quod ad
pacem et tranquillitatem publicam spectat faciet.
Et nos erga D. V. omni officiorum genere permanemus
benignissime affecti. Datae in Civitate nostra Oeniponte
quarto die mensis Julij. Anno etc. nonag.mo secundo.

Ferdinandus Dei gratia Archidux Austriae,
Dux Burgundiae Comes Tyrolis etc.

Ferdinandus

[illegible]

1957(92437) Lea.

92 / 4a Julij - Hispanie
Dal Re di [illegible]

R.do in Cristo Patri amico nrõ charmo Dnõ Ger:
manico Epõ Sancti Seuesi. SS.mi D. N. per Poloniam
nuncio

Beatissime in Christo Pater, ac
Domine Domine Clementiss.me

Strasbourg

Humillimam mei commendationem, filialem observantiã,
et pedum oscula beatorum. Accepi Beatitudinis Vræ
Breve xxvj. proximè elapsi mensis Decembris die, de
rebus Argentinensibus ad me scriptum. Quod quantum
Zelum et amorem erga Sacrosanctam religionem Catholi:
cam, et dulcissimam patriam nostram præferat; quamq;
publicæ tranquillitatis sit studiosa, quis non videt? Pro
eo igitur ac par est, gratias quas possum maximas S.ti V.
et ago, et habeo. Quod ad me attinet, nihil hactenus
curæ, nihilue laboris, aut sumptuum peperci, quin imò
omnem adhibui operam et diligentiam ut malum hoc,
provincijs et subditis meis pro foribus, et in limine existens,
antequam latius serperet, et maiores sumeret vires, propelle:
retur. In quam rem Sac: quoq; Cas.a M.tas sedulò in
cubuit: Sed tantum apud hæreticos efficere non potuit,
quin eam gravioribus rebus distractam, et turcico bello
implicitam videntes, arma arriperent, et quod nullo iure
aut honestatis titulo potuerunt, aperta vi atq; sceleribus per
fringere sunt ausi: eoq; insolentiæ et temeritatis processerunt,

ut postsabitis et contemptis Sac: Cas:ª Mtis edictis, etia
grauissimis, non solum Episcopatus Argentoratensis loca
et terras opprimere: sed et uicinorum pagos inuadere, et
spoliare non vereantur. Nec à meis subditis, nihil prorsus
commertij cum hoc bello habentibus, uiolentas abstinuerunt
manus; nuper enim in quatuor uillas mihi subiectas, magno
militum numero irruerunt, templa in q subditi res sibi
chariores securitatis causa, contulerant, effregerunt, omnia
abstulerunt, nonnullis ex ijs grauiter percussis, uulneratis, et
occisis. Quâ res quanto me afficiat dolore, quantumq
animum meum ad iustam auendat uindictam, fa:
cilius est æstimare, quàm dicere, Sed in tanto rerum
discrimine, quo Sac: Cas:ª Mtas. cum cæteris Austriæ
Archiducibus, ob immanis Christiani nominis hostis, ma:
chinationes, uersatur, non est tutum maioribus se periculis
exponere. Præsertim cum aduersariorum vires sint tantæ,
ut si Catholicorum unus, ad iustam saltem defensionem
arma sumat, decem statim, aut plures hæreticorum, in
ipsum insurgant. Proinde Sac: Cas:ª Mtas. extremum huic
malo adhibitura remedium, Commissarios suos cum Caducea:
tore, quem Heroldum uocant, ad belligerantes ablegauit,
et utramq partem ad armorum depositionem, sub pænis
in eiusmodi casibus solitis seriò monet. Si paruerint, et
quod maximopere optandum est, Suæ Mtis dicto audi:
entes fuerint, fortassis adhuc locus negotij huius compo:

nendi supererit. Sin minus, et si arma pertinaciter
retinuerint, non video quomodo Ecclae afflictae rei succur:
rendum erit, nisi S.tas V.ra pro muneris sui ratione auxi:
lio et consilio praesto sit. Divinam Maiestatem suppliciter orans,
ut eam ad Ecclesiae suae, et totius Reipublicae Christianae uti:
litatem in Nestoreos conservet annos. Data Oeniponti vi:
gesimo primo die mensis Januarij, Anno etc. nonag.mo tertio

Sanct.tis V.rae

Obediens filius

Archidux Austriae.

Ferdinandus

Beatissimo in Christo Patri, et Domino Domino
CLEMENTI octavo, Sanctae Romanae, ac
Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino
meo Clementissimo

1593.
Oeniponte 21. Januarij
Ferdinandus

1957(92437)Lea